



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,  
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1619**

Cap. V. Aethiopiae, siue Abaßini imperij status ac religio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11108**

190 DE STATV RELIG. CHRIST.  
duntur. Vnde & sic dicti à quibusdam pu-  
tantur, vocabulo à Græcis sumpto. Ga-  
briel Patriarcha Alexandrinus, nationis  
Cophthorum, an. 195 Legatos suos Romam  
ad Clementem VIII. misit: quorum fidei  
professionem Baronius tom. VIII. ad cal-  
cem publicavit: quo loco plura de ijsdem re-  
peries. Idem Clemens VIII. Collegium in-  
stituit, ad AEgyptios & Cophthos in Vrbe  
piè educandos. Solet autem Cophthorum Pa-  
triarcha in Cayro residere.

C A P V T V.

AETHIOPIAE SIVE ABAS-  
sini Imperij status ac Re-  
ligio.

**I**Nter AEthiopiæ partes ea videtur esse  
præcipua, quæ ad Orientem Solem  
propius accedens, à veteribus AEthiopia  
*sub AEgypto*, à Scriptoribus hodie *Abas-*  
*sia* nuncupatur. Abassini autem Prin-  
cipis imperium sex & viginti regna olim  
complectebatur, ex quibus hodie non ni-  
si quatuor possidet, *Tigrim* videlicet,  
*Abagamedrim*, *Dambeam* & *Goromam*, & his  
loca nonnulla vicina. Itaque ob regna  
multa, quibus Monarcha Abassinus olim  
præfuit, Imperatoris nomen obtinuit: pa-  
tria

tria enim lingua *Acegus* dicitur, quod Imperatorem sonat, item *Nigus*, quod Regem significat. Hodie Imperatorium nomen vix sustinet, tot regnis amissis, & copijs sic accisis. Oram namque maris Rubri Turcæ seu Saraceni ferè occupant: per continentem verò terram plurimi partim Ethnici, partim Mahumetani viuunt, qui ab eiusdem fide & obedientia recedentes, vel Turcarum Imperatorem, vel nullum Principem agnoscunt, vt taceam *Galas*, Castrum gentem immanissimam, partem ferè Aethiopiæ duodecimam excusso iugo occupasse. Quo fit, vt Abassinorum Rex contra vicinos hostes suos, subditosque rebelles, à Rege Catholico & Lusitanis auxilium cogatur implorare: quod eidem & præstari solet.

Cæterum vocatur is ab Europæis vulgò *Preteiannes* seu *Presbyter Ioannes*, quod olim nomen fuit magni illius Indiarum ac Scythiæ Principis Christiani, ab historicis antiquioribus celebrati, per errorem à Lusitanis, in Indiam Asiaticam tendentibus, Abassino postea Principi attributum.

Vt olim Arabes, Persæ, & Parthi, sic hodie Abassinus Imperator cum suis plerunque in castris viuunt: aliquando ad urbem *Gubbaim* se recipit, quæ eius nunc aula

aula censetur, sita non procul à lacu *Dambeabahar*, quod *Dambeæ* mare sonat.

*Æthio-*  
*pum Apo-*  
*stoli.* Christianam religionem primus in *Æthiopi-*  
*am* inuexit Regina *Candacis* Eunu-  
chus, *Indica* nomine, vt volunt, qui *Ieroso-*  
*lymis*, quò adoratū ierat, in *Æthiopi-*  
*am* rediens, à *Philippo* Diacono baptizatus, &  
sacra doctrina instructus, eandem cum suis  
cœpit communicare. Eunuchum subsecutus  
est *S. Matthæus* Apostolus, cui *Æthiopi-*  
*am* prouinciam obtigisse, & nouis Euangelij ra-  
dijs ab eo fuisse illustratam, constanter o-  
mnes tradunt.

*Æthor.*  
*s. c.*

*Abassin-*  
*orū erro-*  
*res.*

Sed *Abassinæ* gentis errores hodie plu-  
rimi sunt; partim à *Iudæis*, partim à *Græ-*  
*cis*, alijsq; hæreticis iam olim hausti.

Nam Purificationis legem & sabbatha  
custodiunt, masculos, & peculiari ritu etiam  
fœminas circumcidunt. Annis item singulis,  
ipso *Epiphaniæ* die, baptismi lauacrum re-  
nouant.

Ab esu eorum animalium, quæ olim *Iu-*  
*dæis* erant prohibita, abstinent.

Plures simul habent vxores, & eas, cum  
lubet, repudiant.

Purgatorium negant.

Aiunt Spiritum sanctum à solo *Patre*  
procedere.

Vnam in Christo voluntatem, & vnam  
duntaxat agnoscunt operationem.

Chal-

Chalcedonense Concilium reprobant, quòd Dioscorum condemnarit, quem beatum prædicant.

Solos Ethnicos & Mahumetanos credunt æterno igni addicendos.

Hæc ex litteris Antonij Fernandij, Societatis Iesu Sacerdotis, quas ex Dambeæ regno, vrbe Gorgorra, anno 1606. & in sequentibus dedit, aliorumque Patrum Societatis eiusdem scriptis, fideliter hausi.

Cæterum vnicum Abassini habent Antistitem, qui sacris præest, qui que Monachis & Clericis ordines confert. Præter huc nemo alius munera Pontificalia exercet. Is ab incolis *Abuna* dicitur, id est, Pater, alio nomine *Macus* appellatur. Eius electio & creatio est penes Alexandrinum Patriarcham, non penes Abassinos Ierosolymis commorantes, vt quidam fingunt.

*Abuna  
Abassi-  
norum  
Præsul.*

Plerique Monachorum cœtus sub S. Antonij nomine in Abassia viuunt; suam quisque ad habitandum speluncam magis quam ædem habet; quæ sibi opus, quærit per se, nulla donandi vel accipiendi lege prohibitus. Non pauci solo victitant legumine, & summam in ieiunio putant esse sanctitatem. In plerisque tamen Monachis, vt & Monialibus summa viuendi est licentia. Monachos à Clericis cucullus, hos à cætero populo distinguit crux: quam quisque ex ligno vel metallo

N

tallo

tallo aliquo portat. Sacris initiati Ordinibus vxores habent. Si quis primã amittit, suspensionis pœna vetatur accipere secundam, propter bigamiam. Singuli ad Ordines admissi, salis petram reddunt conferenti: & laboris pretium est, & in ijs locis pecunia.

Rem diuinam facientes Sacerdotes ( faciunt autem lingua Chaldaica ) calicem & patenam ex ære, corporalia verò & purificatoria ex gossipio habent. Fermentato in sacris pane vtuntur, eodem confecto die. Ex vuis pãsis, aqua infusa, succum exprimunt, qui est loco vini. Sub vtraque specie omnes Eucharistiam sumunt. Ex calice hauritur sanguis cochleari, & communicantibus porrigitur. In festis solennioribus partim manibus plaudunt, partim fistris & tympanis sonitum edunt: quibus tinnitibus nulla ipsis videtur Musica suauior.

Quadragesimalibus ferijs, omnibusque Mercurij, & Veneris diebus, toto anno ieiunant, & ferè vsque ad occasum solis. Tempore tamen inter Resurrectionis Dominicę Pascha & Pentecosten interiecto, non ieiunant, sed carne vescuntur & sæpius in die comedunt. Hęc & alia ex Antonij Fernandij suprã laudati litteris fideliter recitat Nicolaus Godignus libr. 1. de reb. Abassinarum, Lugduni anno 1615. edito.

De Abassinorũ porro schismatis exordio pauca

pauca hæc habe. Certum est illam Alexandrinæ Ecclesiæ partem, cum suo capite, iam inde à Magni Leonis Pontificis Romani & Martiniani tempore, rectè in fidei regulam deseruisse. Enimuerò circa annum Christi <sup>An. 400.</sup> quadringentesimum, cum celebratum est Chalcedonense Concilium, in quo Eutyches est damnatus: Dioscorus tunc Alexandrinus Patriarcha, cum Eutychetis dogmata acriter tueretur, nec à Concilij auctoritate moueretur, in rabiem versus, à Romano se capite se iunxit, & prouincias sibi subditas, in his Abassiam, secum in errorem atq; interitum traxit.

Subsecutis tamen sæculis, non defuerunt Abassini aliquot Imperatores, qui in suis Legatis curarunt, ut aliqua ipsis veritatis lux à Romanâ sede affulgeret. Ad Clementem V. Auenionem in Gallia, ad Florentinum Concilium sub Eugenio IV. celebratum, ad Clementem VII. Bononiam in Italia, Ad Paulum III. Pium V. Gregorium XIII. Paulum V. aliosq; Pontifices Romam ex Æthiopia Abassinos venisse, ex historijs certè constat.

Hodie Patres aliquot Societatis Iesu in procuranda Abassinorum salute ac conversione seriò laborant. Duo autè tenent loca: partim namq; in regno Tigri sunt, ibiq; pagum incolunt, cui *Fremena* nomè, partim Imperatoris castra sequuntur, & opidum *Gorgorã* communiter inhabitant. De Ioan. Nonio Barreto &

Andrea Ouiedo, AEthiopiæ Patriarchis, ex eadem Societate, rebusque ab ijs gestis confule Nicolaum Godignum supra à me commemoratum, & Nic. Orlandinum in Historia Soc. Iesu.

Cæterum præter subditos Preteianis, plurimi vicinorum regnorum populi, Mahumetanis, Ethnicisq; mixti, Abalsinorum hodieque religionem ac ritus profitentur.

## CAPVT VI.

## REGNVM CONGI.

**C**ongi regnum, Hesperiorum AEthiopum (Manicongum quidam nuncupant) ad extimam Africæ oram situm est, ab ipso propè AEquatore exoriens in meridiem porrectum, & latè in Mediterranea quoque introrsum recedens. Regni Gallia, à Ioanne Botero & alijs, magnitudine par censetur.

1485. Congianum porrò regnum sub annum Christi 1485. à Lusitanis est detectum: ac subinde missa à Ioanne II. Portugallia Regis per honorificam legationem, cum tribus ordinis S. Dominici Patribus, ad Christi sacram traductum. Rex ipse Congiensis, Baptismi lauacro tinctus, de Regis Lusitani nomine I. Ioannes, & filius, item ab Lusitani Regis filio

*Alfon,*